

*Guglielmo Ruffo fa
trascrivere alcune lettere*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa
trascrivere alcune lettere*

1337-01-11

In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen. Anno eiusdem Dominice incarnationis millesimo trecentesimo trigesimo sexto, die undecimo mensis ianuarii, quinte indictionis, apud Rhegium. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia gloriosissimo Ierusalem, et Sicilie rege, et Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie, Folcaquerii ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno vicesimo octavo feliciter amen.

Nos Philippus de Musolino, iudex civitatis Rhegii, Ioannes Chaleli, publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie, auctoritate regia notarius, et testes subscripti, ad hoc vocati specialiter et rogati, praesenti scripto publico notum facimus et testamur quod pretitulato die, nobilis vir iudex Bernardus de Prelato de Rhegio, alter iudicum annalium, et Ioannes de Loguteta, magister iuratus dicte civitatis Rhegii, annis presentis quinte indictionis predictae, ostenderunt nobis et publice legis fecerunt quasdam litteras commissionis eorum viri magnifici domini Beringarii Audiberti de Aquis, militis, regii camerarii, consiliarii et familiaris, ac capitanei civitatis Rhegii et a Capite Brutiani usque ad Balneariam inclusive, suo consueto sigillo ipsius domini capitanei de cera rubea sigillatas, iudici Bernardo et Ioanni commissariis mandati directas, quas vidimus, legimus et inspeximus diligenter, ut moris, et continentie sequentis. Quarum litterarum dicti domini capitanei, auctoritate dicti domini commissarii, pretitulato die undecimo dicti mensis ianuarii, quinte indictionis predictae, in primo ipsius diei citaverunt in nostra presentia eundem dominum comitem Sinopolis, ex regia sua parte, ut secundo post citationem ipsam se presentet

coram comino capitaneo supradicto, responsurus super contentis in predictis regalibus litteris, in quantum tangi videbitur ex eisdem, se exinde, si et in quantum de iure fuerit, defensurus. Verum quia dictus dominus comes sua interesse asseruit de premissis habere velle, ad suam cautelam, publicum instrumentum requisivit, nos, qui supra, iudicem et notarium publicum nostrum super hoc officium implorando, et testes subscriptos, ut de premissis supra facere deberemus publicum instrumentum.

Cuius requisitionibus iustis, utpote annuentes – quia iusta petentibus non est denegandus assensus – ad rei futuram memoriam, et dicti domini comitis cautelam, presens scriptum publicum eidem domino comiti exinde factum est, ipsius requisitionibus et rogatus, scriptum et subscriptum per manus mei, predicti notarii publici, signo meo solito signatum, nostro, qui supra iudicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum anno, mense, die, loco et indictione premissis. † Ego qui supra Philippus de Musolino de Calanna, regia autoritate iudex civitatis Rhegii. † Ego Thomasius de Amantea predicta testor. † Ego notarius Nicolaus de Ieria de Rhegio predicta testor. † Ego Petrus Musolino predicta testor. † Ego Iacobus Metrita testor. † Ego Nicolaus de Satriano predicta testor. † Ego Guglielmus Balduinus de Stilo predictis interfui et predicta testor. † Ego Guido de Amantea testor. † Ego qui supra Ioannes Chaleli publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie autoritate regia notarius presens scriptum publicum scripsi et me subscripsi et meo solito signo signavi.